Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Briefe - Cod. Aug. perg. 83

Paulus <Apostel, Heiliger>

[S.l.], [11. Jh.]

Argumentum epistolae Pauli ad Romanos

urn:nbn:de:bsz:31-11851

Visual Library

Primum quaeritur quare post euangelia quae supplementum legis sunt et in quibus nobis exempla et praecepta uiuendi plenissime sunt digesta uoluerit apostolus has epistolas ad singulas ecclesias destinare; Hac autem causa factum uidetur, ut scilicet initia nascentis ecclesiae nouis causis existentibus praemuniret et et praesentia atque orientia resecaret uitia et post futuras excluderet quaestiones; Exemplo prophetarum qui post editam legem mosi in qua omnia dei mandata legebantur, nihilominus tamen doctrina sua rediuiua semper populi compressere peccata et propter exemplum libris ad nostram quoque memoriam transmisere; Deinde quaeritur cur non amplius quam x epistolas ad ecclesias scripserit; decem sunt enim cum illa quae dicitur ad hebreos; Nam reliquae quattuor ad discipulos specialiter sunt porrectae; ut ostenderet nouum non discrepare a uetere testamento et se contra legem non facere mosi; ad numerum primorum decalogi mandatorum, suas epistolas ordinauit; et quot ille praeceptis a pharaone instituit liberatos, totidem hic epistolis a diaboli et idolatriae seruitute edocet adquisitos; Nam et duas tabulas lapideas duorum testamentorum figuram habuisse uiri eruditissimi tradiderunt; Epistola sane quae ad hebreos scribitur quidam pauli non esse contendunt, eo quod non sit eius nomine titulata et propter sermonis stilique distantiam; sed aut barnabae iuxta tertullianum, aut lucae iuxta quosdam; uel certe clementis discipuli apostolorum et episcopi romane ecclesiae post apostolos ordinati; Quibus respondendum est; Si propterea pauli non erit, quia eius non habet nomen; ergo nec alicuius erit, quia nullius nomine titulatur; Quod si absurdum est, ipsius magis esse credenda est quae tanto doctrinae suae fulget eloquio; Sed quoniam apud hebreorum ecclesias quasi destructor legis falsa suspicione habebatur, uoluit tacito nomine de figuris legis et ueritate xpi reddere rationem, ne odium nominis fronte praelati utilitatem excluderet lectionis; Non est sane mirum si eloquentior uideatur in proprio id est hebreo quam in peregrino id est graeco quo epistolae sunt ceterae scriptae sermone; Mouet etiam quosdam quare romanorum epistola in primis sit posita, cum eam non primam scriptam ratio manifestet; Nam hanc se proficiscentem hierosolimam scripsisse testatur; cum corinthios et alios ante iam ut ministerium quod secum portaturus erat colligerent, litteris cohortatus sit; unde et intellegi quidam uolunt, ita omnes epistolas ordinatas, ut prima poneretur quae nouissima posterior fuerit destinata, ut per singulas epistolas gradibus ad perfectiora ueniretur; Romanorum namque plerique tam rudes erant, ut non intellegerent dei se gratia non suis meritis esse saluatos et ob hoc duo inter se populi conflictarentur; Idcirco illos indigere asserit confirmari uitia gentilitatis priora commemorans; Corinthiis autem iam dicit scientiae gratiam esse concessam et non tam omnes increpat, quam cur peccantes non increpauerint reprehendit; Sicut ait; Auditur inter uos fornicatio; Et iterum; Congregatis uobis cum meo spiritu tradere huiusmodi hominem satanae; In secunda uero laudantur et ut magis magisque proficiant admonentur; Galatae iam nullius criminis arguuntur nisi hoc tantum quod callidissimis pseudoapostolis crediderunt; Ephesii sane nulla reprehensione sed multa laude sunt digni quia fidem apostolicam seruauerunt; Philippenses etiam multo magis collaudantur qui nec audire quidem falsos apostolos uoluerunt; Thessalonicenses nihilominus in duabus epistolis omni laude prosequitur eo quod non solum fidem inconcussam seruauerint ueritatis sed etiam in persecutione ciuium fuerint constanter inuenti; Colosenses autem tales erant ut cum ab apostolo uisi corporaliter non fuissent hac laude digni haberentur; Et si corpore inquit absens sum sed spiritu uobiscum sum gaudens et uidens ordinem uestrum; De hebreis uero quid dicendum est; quorum thessalonicenses qui plurimum laudati sunt, imitatores facti esse dicuntur; sicut ipse ait; Et uos fratres mei imitatores facti estis ecclesiarum dei quae sunt in iudea; eadem enim passi estis et uos a contribulibus uestris quae et illi a iudaeis; Apud ipsos quoque hebreos eadem commemorat dicens; Nam et uinctis conpassi estis et rapinam bonorum uestrorum cum gaudio suscepistis cognoscentes uos habere meliorem et manentem substantiam;

ARGUMENTUM EPISTOLAE PAULI AD ROMANOS

Romani sunt qui ex iudaeis gentilibusque crediderunt; Hi superba contentione uolebant se alterutro superponere; Nam iudei dicebant; Nos sumus populus dei quos ab initio dilexit et fouit; Nos circumcisi ex genere abraham ex stirpe sancta descendimus et notus retro apud iudeam tantum deus; Nos de aegypto signis dei et uirtutibus liberati mare sicco pede transiuimus cum inimicos nostros grauissimi fluctus inuoluerent; Nobis manna pluit dominus in deserto et quasi filiis suis caeleste pabulum ministrauit; Nos die noctuque incolumnes nubis ignisque praecessit ut nobis iter in inuio ostenderet; Neque ut cetera eius circa nos immensa beneficia taceamus; Nos soli digni fuimus dei legem accipere et uocem dei loquentis audire eiusque cognoscere uoluntatem; In qua lege nobis promissus est xps; Ad quos etiam ipse se uenisse testatus est dicens; Non ueni nisi ad oues quae perierunt domus israhel cum uos canes potius quam homines appellauerit; Aequumne ergo est ut hodie idola deserentes quibus ab initio deseruistis nobis comparemini et non potius in proselitorum locum ex legis auctoritate et consuetudine deputemini; Sed nec

G. B. HOFBIBLIOTHEK KARLSRUHE

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

non merebamini· nisi quia largi di semper clementia uoluit uos ad nram imitationem admittere; Gentes etiam econtrario respondebant; Quanto maiora ergo uos beneficia di narrauerimus· tanto maioris uos criminis reos ee monstrabitis; semper enim his omnibus extitistis ingrati; Nam ipsis pedibus quibus aridum mare transistis· ludebant ante idola quae fecistis; & ipso ore quo paulo ante ob necem aduersarii [phar] cantaueratis dno· simulacra uobis fieri poposcistis; illis oculis quibus dm uenerandum in nube & igne conspicere solebatis· [simulacra intuebamini;] manna quoque apud uos [ad] fastidio fuit· & semper in deserto contra dnm murmurastis· ad egyptum unde uos manu ualida eiecerat uolentes reuerti; Quid plura· ita patres uri crebra prouocatione dnm irritauerunt· ut omnes in heremo morerentur· nec plus ex senioribus eorum· quam duo homines terram repromissionis intrarent; Sed quid antiqua replicamus· cum haec etiam si illa minime fecissetis· hoc solo nemo uos dignos ueniam iudicaret· quod dnm dm xpm· pphetarum semper uocibus uobis repromissum· non solum suscipere noluistis· sed etiam morte pessima peremistis; Quem nos ut cognouimus· statim credidimus· cum nobis de eo non fuerit ante praedicatum; Unde probamus· quod idolis seruiuimus· non obstinationi mentis· sed ignorantiae deputandum; Qui enim agnitum ilico sequitur· olim utique fuisset secutus· si ante cognouisset;

Si autem uos de generis nobilitate iactatis· quasi non morum imitatio magis quam carnalis natiuitas nos faciat filios esse sanctorum; Denique et esau & ismahel· cum ex abrahae stirpe sint· minime tamen in filios reputantur; His taliter altercantibus· apostolus se medium interponens· ita partium dirimit quaestiones· ut neutrum eorum sua iustitia salutem meruisse confirmet· Ambos uero populos & scienter & grauiter deliquisse; Iudaeos· quod per praeuaricationem legis dm inhonorauerint; Gentes uero· quod cum cognitum de creatura creatorem· ut dm debuerint uenerari· gloriam eius in manu facta mutauerint simulacra; Utrosque etiam similiter ueniam consecutos· aequales esse· ueracissima ratione demonstrat; Praesertim cum in eadem lege praedictum sit· & iudaeos & gentes ad fidem xpi uocandos; Quapropter uicissim eos humilians· ad pacem & concordiam cohortatur; ITEM ARGUM·

Romani sunt in partibus italiae; Hi praeuenti sunt a falsis apostolis· & sub nomine dni nri ihu xpi· in legem & pphetas erant inducti· Hos reuocat apostolus ad ueram euangelicamque fidem· scribens eis a corintho;

CAPITULA EPLAE AD ROMANOS

I De natiuitate dni secundum carnem·
II De fide romanorum· & paulo pro eis dnm deprecante·
III De gentibus graecis ac barbaris· & primatu iudeorum atque graecorum·
IIII De ira di in eos qui ueritatem in iniustitia detinent· & cognitum dnm deserentes creaturae seruiunt
V De impudicis uiris ac feminis·
VI De iniquis iudicibus· qui mala quae alios prohibuerint· ipsi committunt· & de patientia di ad poenitentiam reuocantis· & poenis male operantium· & gloria operantium bonum· & quod non prosit circumcisio transgredientibus legem· nec obsit praeputium gentibus naturaliter dm summum colentibus & custodientibus aequitatem·
VII De iudeo quid amplius habeat· & quid eloquiis gentibus antecellat·
VIII De humana calumnia aduersus iudicium di· & dicentibus faciamus mala ut ueniant bona
VIIII De iudeis & graecis omnibus peccato constrictis & iustitia di per fidem dni nri ihu xpi·
X De iustificatione hominis per fidem sine operibus·
XI De gloriatione spei gloriae di parit· & gloriae tribulationis·
XII De passione dni pro impiis nobis· & praeuaricatione hominis peccatoris adae
XIII De morte regnante ab adam usque ad moysen & in eos qui non peccauerunt in similitudinem praeuaricationis adae· & deponentis ad mortem & gratia
XIIII De differentia magnitudinis peccati adae· & humani generis secundum partem· non tamen apud se credentes omnes in resurrectione & gloria sempiterna·
XV De baptizatis· quod morte dni sint baptizati· ut iam non peccato ei iam moriatur· sed iustitiae di euiuant in resurrectione dni nri ihu xpi
XVI De fidelibus quod non sint sub lege sed sub gratia· & quod liberati a seruitute peccati· facti sunt serui iustitiae di· & mortuo uiro a lege sit libera
XVII De homine quamdiu uiuit in uinculo legis astricto & in passione dispari
XVIII De disputatione carnis & carnalium operum· & de spiritalium sermone·
XVIIII De his qui non carni debitores sint sed spiritui· & quod non spm timoris acceperint· sed adoptionis filiorum di·
XX De differentia passionum & gemitus creaturae· adsistente corruptionis liberari cupientis· & de spe· & de spiritu qui gemitibus qui uerbis exprimi non possunt ambrosius postulante·
XXI De praedestinatis conformibus filii di
XXII De dm qui pro nobis filio suo proprio non pepercit·
XXIII De impossibilitate separationis hominis xpiani a dilectione dni nri ihu xpi.
XXIIII De testificatione pauli doloris & tristitiae proludens
XXV De duobus populis·
XXVI De uoluntate di· quod cui uult indurat· & cui uult demissione miseretur·
XXVII De comparatione figmenti & figuli·
XXVIII De uasis irae ac misericordiae· & gentium uocatione·
XXVIIII De esaia clamante pro populo israel·
XXX De gentibus iustitiam fidei comprehendentibus· & iudeis offendentibus in lapide offensionis·
XXXI De paulo testimonium perhibente· quod iudei aemulationem di habebant· sed non secundum scientiam· & quod finis legis sit dns xps·
XXXII De iustitia legis & iustitia fidei·
XXXIII De incredulitate iudaeorum· & gentium fide·
XXXIIII De iudaeis quod non sint repulsi a deo·
XXXV De duritia iudeorum·
XXXVI De iudeorum delicto· cum sit salus gentibus· quanto magis erit plenitudo eorum·
XXXVII De apostolo relatione iudeorum comparatione oleae arboris· & generis di
XXXVIII De salute omnium iudaeorum·
XXXVIIII De impossibilitate sciendi secretorum scientiae di·
XL De apostolo obsecrante sanctos· ut corpora sua exhibeant hostiam do
XLI De falsa & uera sapientia· & de diuersitate donorum & dilectione;
XLII De aedificatione & comparatione corporis atque membrorum quae in hoc capitulo sunt; De odio mali & coniunctione boni; De caritate & obsequio; De sollicitudine; De feruore spiritus; De dno seruiendo; De spei gaudio; De patientia tribulationis; De instantia orationis; De communicatione sanctorum necessitatibus; De hospitalitate; De benedicendo & abstinentia maledicendi;